

Andreas Gottfried Ammon

**Programma, In Funere ... Domini Erdmanni Ludovici de Wuslow/ S.ae R.ae M.tis  
Sveciae Supremi Per Pomeraniam Rei Venatoriae Magistri ... Propositum Publice,  
Ad Exequias Ips. Idib. Aprilis Anno MDCLXXI, Solenni Ritu Habendas, Studiosam  
Gymnasii Carolini Iuventutem Invitans**

Stetini: Typis Rhetianis, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777379031>

Druck Freier  Zugang





LB FP Wussow, Eidmann 1671

II - 1561. 23.

PROGRAMMA,  
IN FUNERE  
GENEROSI, MAXIMEQ; STRENUI,  
DOMINI  
ERDMANNI  
LUDOVICI  
de Wusow/

S. æ R. æ M. tis SVECIÆ SUPREMI  
PER POMERANIAM REI VENATORIÆ

MAGISTRI, HÆREDIT. DOMINI IN Kuro

Lepzin/ æ.

PROPOSITUM PUBLICE,

AD EXSEQVIAS,

Ips. IDIB. APRILIS ANNO M. DC. LX.

SOLENNI RITU HABENDAS,

STUDIOSAM GYMNASII CAROLINI  
JUVENTUTEM  
INVITANS.

STETINI, TYPIS RHETIANIS.

II 1568<sup>29</sup>



ANDR. GOTHOFRED. AMMON,

SS. Theol. Licent. Prof. Ord. ac Rector

GYMN. CAROLINI

*Studiose Juventuti S.*

**V**ando supremi sunt honores hodie præstandi primariæ Nobilitatis viro, Generoso maximeq; strenuo Domino ERDMANNO LUDOVICO WUSSOVIO, S. & R. & M. t. Sveciæ supremo in Pomerania Rei Venatoriæ Magistro, statuendumq; illius virtuti literarium aliquod monumentum, visum est dicendum hoc loco nonnihil de illius vitæ genere, in quo beate mortuus Patriæ suæ utilem se civem, quoad vixit, exhibuit. Cum igitur tria fere sint adminicula, quibus adolescentia nobilis utitur ad inserviendum patriæ, Majorumq; & familiæ suæ dignitatem tuendam & amplificandam, bonæ literæ, ars militaris, quæq; illi inserviunt, & vita deniq; aulicæ: Noster quidem & de Parentum voluntate & pro ratione temporum, in quæ inciderat, hæc potissimum duo secutus est adolescens, quibus ad exsequenda boni civis munia se præpararet, aulam & militiam. Diversa sunt Civium officia, quæ investigat *Aristot. lib. VII. polit. c. IIX.* refertq; ad eas res, quibus indiget civitas, sollevandæ illa indigentia hominum instituta societas. Primum autem alimento est opus, deinde multis vitæ instrumentis; porro armis, quibus vel coercerantur cives imperantibus refractarii, vel propulserantur externi hostes, cum pecunia; præcipue vero divino cultu, consiliis deniq; & judiciis. Parandæ igitur alimonix incumbunt agricolæ & pastores; instrumenta variis vitæ usibus aprant opifices: Arma tractant milites: Locupletes pecuniam supeditant: Sacerdotes divina; Senatores & Judices utilia civitati ac justa civibus inter se administrant. De utilitate ac digni-

dignitate singulorum nihil attinet hic disserere pluribus. Hoc certe constat, aulas ac militiam nobiliores quarumvis gentium semper studiose persecutos. Apud Ægyptios quidē primum à Rege locum obtinuisse legimus sacerdotes, proximos fuisse viros principes, tum milites, deinde agricolas, tum pastores, deniq; opifices: Similia fere sunt instituta cæterarū gentium, quas inter cultiores Antiquitas numerabat. Posteaquam enim hominum perversitas paterni vincula imperii cœpisset percurrere, confluerentq; plures vim potentiamq; injustorum pertimescentes, ad unum aliquem virtute præstantem, quem Regem sibi Ducemq; creabant; more etiam in Patriarcharum domibus usitato primogenitis cum prærogativa duarum hæreditatis portionum Regnum atq; Sacerdotium tribueretur: Reges illi ducesq; cæterorum & bella gerebant, si opus esset, nec sacra sinebant negligi, & agro colendo pecoribusq; pascendis ea, quæ ad victum pertinerent, per certos homines procurabant. Notum est ex sacra historia, quæ fuerint Abrahami & æqualium posterorumq; studia pacis ac belli temporibus: quibus aliquot seculis antiquior NIMROD cum tanquam progymnasmate militiæ venatione, prudentiæ sibi fortitudinisq; bellicæ laudem comparasset, prima fundamenta jecit regni seu Monarchiæ Babylonicæ. Neq; enim alimenta Venatores tantum comparant, quod eorum, qui agrum colunt, & qui pecora pascunt, fuerit officium; sed longe majores in Rempubl. utilitates conferunt. Vicina est sane pastioni Venatio: Atq; ut illa est animantium vel terrestrium, vel aquatiliū, vel volucrum; horum in aviariis, istorum in piscinis, illorum in vivariis: sic Venatio vel est ferarum terrestrium, quæ capiuntur certis instrumentis adhibitis, ut venabulis, retibus; animatis quoq;, ut canibus, equis: vel piscatoria; vel aëria deniq;, quæ fit accipitre. *Aristot. lib. IX. Histor. Animal. cap. 36.* decem recenset accipitrum species, quarum præstantissima sit *reiderxus* seu buteo: nostris quidem

locis ac temporibus falco in eo genere maxime commendatur. Possemus, nisi properarem ad alia, persequi singula isthæc venationum genera, & indicare, quæ nam literis in hanc rem sint prodita: sed multis hic nobis esse non licet, XENOPHONTIS illa de venatione communiter, OPIANI Cyngetica & Halieutica nota sunt fortasse; neq; GRATHI aut PHEMONIS scripta de cura canum venaticorum, aut quæ recentiores sunt in illud argumentum commentati, prolixius hic sunt commemoranda. Venationem autem accipitrariam & Græcis & Romanis veteribus fuisse ignotam, ac demum post CONSTANTINI MAGNI tempora frequentari cœpisse, vel ex eo constat, quod primi accipitrum prælia memorant JULIUS FIRMICUS ac SIDONIUS APOLLINARIS; & CUROPALATÆ demum matricula mentionem facit PROTOHIERACARII, seu præfecti venatorum hujusmodi; quorum ductu circa illa tempora DEMETRIUS Constantinopolitanus *περὶ τῆς τῶν ἰεγευῶν ἀνατολῆς καὶ βερεμίας*, alii postea de diversis falconum generibus, eorum morbis ac medicina, & novissime Jac. Aug. Thuanus Carmen de re accipitraria scripserunt. Vulgaris enim istius aucupii, quo retibus aut visco aves capiuntur, mentionem hic non faceremus, nisi duorum Imp. propemodum æqualium hoc nomine digna memoratu videretur autoritas, quorum alter LEO VI, BASILII Macedonis filius, Imperator Orientis, alter HENRICUS SAXO, cognomento AUCEPS, Occidentis Imp. hic quidem crebro aucupandi exercitio, ille etiam libro de Aucupio sunt nobilitati. Sed magis fortasse videatur esse hujus Joci exponere, quid venationes, earumq; publicam curam gerentes Reip. conducant. Hoc vero institueramus quidem dicere, sed cogimur in præsentia esse breviores. Quibus de rebus deliberatio habeatur publice, dictum est alias. Duo sunt autem præcipue, in quibus vel maxime istius muneris utilitas cernitur: Unum ad redditus publicos & annonam pertinet, alterum ad belli tempora & regionis custodiam. Quod hanc

hanc ad rem conducit imprimis, incolas esse gnaros locorum, nosse regionis aditus, fluviorum, sylvarum, paludum, desertorumq; situs ac discrimina, verbo, ut *I. Rhet. IV.* habetur, esse *ἐμπειροὺς τῶν τόπων*, id venando quasi aliud agendo discitur. Quando *manet sub Jove frigido Venator teneræ conjugis immemor, vitamq; sub dio, & trepidis agit in rebus, catus idem per apertum fugientes agitato grege cervos jaculari, & celer alto latitantem fruticeto excipere aprum*; primum abstinentiam adhibet ac laborum tolerantiam, præcipuas virtutes juvenum, tum militarem sibi prudentiam comparat, minore periculo discens à feris bestiis, quomodo infensorum insultus hostium evitari queant. Ad publicos autem redditus quantum referat sylvarum ac venationis cura, facile intelligitur, cum usu domestico; tum ex iis, quæ literarum ea de re monumentis sunt tradita. Juventuti quidem studiosæ revocentur hic in memoriam commode, quæ alias ex *lib. I. Polit. c. VII.* sunt tradita, ad pecuniæ videlicet parandæ facultatē hoc pertinere primum; peritum esse atq; gnarū earum rerum, quas natura profert, ac habere innumerato, quæ animalia, quæ plantæ, quibus locis, quando & quomodo maximum fructum ferant; deinde rationem tenere utiliter commutandi partes divitiarum; quo in genere mercatura primas tenet, sive ea navibus, sive plaustris onerariis utatur, sive exerceatur ab institoribus; deniq; nosse modum utilitatis capiendæ ex iis, quæ partim natura constant, partim in commutationibus versantur: velut quomodo materies seu ligna sive ea incendenda sint, sive ad ædificandum adhibenda, in sylvis cædantur, aut metalla vel mineralia eruantur è fodinis, hominumq; usibus accommodentur. Ad ultimum hoc & primum genusea, quæ ad venationes ac sylvas pertinent, referri facile perspicitur. Interfuerit ergo certe Reip. non negligi, quantum ex saltibus, ac venatu ferarum percipi possit, augebunturq; redditus, si cum nihil aut parum inde utilitatis captum sit antea, plus capiatur. Atque hoc consilio in Rebuspubl. be-



ne constitutis præter cæteros Magistratus sunt, qui curam gerunt bonorum extra urbem sitorum, quorum alios ἀγοράμωτες, alios ὄλωρες vocat *Aristot. lib. VI. Politic. Cap. IIX. & lib. VII. Cap. XII.* illos videlicet agrorum præfectos, hos sylvarum nemorumq; custodes sive præsides. Hujusmodi munere cum inclytorum quondam Pomeraniæ Ducum nomine Generosus beate mortui Parens functus esset, eidem ipse postea præfectus autoritate Regia, uti nominis ac bonorum, sic paterni quoq; honoris hæres exstitit. Natus est autè, ut vitæ ejus cursum consveto more persequamur, Generosus ille maximeq; Strenuus Vir, DN. ERDMANNUS LUDOVICUS de Wuffow/Kal. IXbris anno hujus seculi XVII. in prædio Pomellen/Parentibus ac Majoribus è primaria Nobilitate Pomeranica oriundis, quorû seriem adjectum schema exhibet. \* Hic igitur quum die à nativitate decimo sexto lotus sanctissimo Baptismatis lavaero, & corpori mystico Servatoris nostri Opt. Max. esset insitus; ea cœpit doceri simul ac per ætatem potuit, iisq; rebus imbui ab incunabulis, & advesneri, quibus solet ac potest pueritia. Annos erat natus sedecim, cum anno hujus seculi XXXIII. à Parente Julinum deduceretur in aulam Principis Viduæ D. Francisei Ducis Pomeraniæ, cui præstitit ministeria, ephebo nobili digna, ipsum quinquennium, fuitq; gratosus apud Principem, carus omnibus, familiæ ac Parentibus honori atq; gaudio. Postea in militiam se contulit, usus Patrono Chiliarcha Syeco Cappunio, qui favens ejus studiis ac dotibus destinabat illi non pœnitenda virtutis præmia, quibus ornatus etiam veteranos post se relinqueret. Sed ille revocatus à Matre Patris obitu perculsa obsequium parenti præstandum potius, quam suæ aliorumq; voluntati morem gerendum putavit, cum desideraretur à matre vidua, illis præsertim belli temporibus administrandæ rei familiaris adiutor. Anno igitur seculi XLI. factum est divina providentia, Matre ac propinquis consentientibus, ut Conjugem sibi elige-

eligeret, vitæ curarumq; sociam, Generosam Dominam, UR-  
SULAM MARGARETAM RAMMINIAM, Generosi quondam  
Domini, WOLFGANGI de Steinwehrt/ Hæreditarii Domi-  
ni in Sittichow/ Selchow/ &c. relictam Viduam, cui in tri-  
ginta quæsi annorum matrimonio amorem mutuum ad finem  
usq; vitæ sincere constanterq; præstitit. Accidit vero anno se-  
culi LV. ut laudatissimus semper Svecorum Gothorum Van-  
dalorumq; Rex D. CAROLUS GUSTAVUS, & CHRISTINA  
ALEXANDRA Regina, sylvarum nemorumq; per Pomeraniam  
custodiam curamq; illi demandarent, cui muneri fide omni ac  
dexteritate præfuit, vel cum Inclÿto, quem laudavimus Rege  
volente intereset expeditioni Polonicæ, constitutis ante abi-  
tum rebus omnibus diligenter ac studiose cavens, nequid Resp.  
in illo genere se absente detrimenti caperet. In exercitu  
versatus est sic, ut S. R. M. tis, Excelsissimiq; fratris, Dn.  
ADOLPHI JOANNIS, Comitæ Palatini ad Rhenum, Exerci-  
tuum eo tempore Ducis Generalissimi clementissimum favo-  
rem, cæterorum quorumvis amorem ac benevolentiam, vir-  
tutis deniq; & dexteritatis laudem existimationemq; sibi com-  
pararet. Nam fide in Regem ac Patriam cedebat nemini, pa-  
ratus omne potius subire periculum, cujus rei & tum, & duo-  
decimo abhinc anno in obsidione Stetinensi exhibuit illustria  
specimina, quando percussus globo tormenti vulnus in capite  
accepit, morborum sequentium & mortis deniq; initium. In-  
terea anno seculi LXV. & Potentissimi Sveciæ Regis, Domi-  
ni nostri longè clementissimi, Dn. CAROLI XI. & Regi-  
næ CHRISTINÆ nomine summus rei Venatoriæ per Pome-  
raniam Magister constitutus, fide & industria utriq; Magistratui  
plane satis fecit, amorem ac honorem debitum temperatæ  
cum humanitate gravitati tribuentibus omnibus. Erat enim  
animus illi generosus sane, sed mansuetus, pacisq; potius,  
quam dissidiorum amans, superbix, vanæq; pompæ ac frau-  
dis osor, prudens ac circumspectus in rebus agendis, prom-  
ptus

ptus denique ad inserviendum aliis, quocunq; modo legitime posset. Nec vero prosperis rebus efferri, nec adversis nimium percelli visus est, veluti, cum incendio absumta sibi doleret prædia, sed modice. Reip. deniq; ac patriæ salutem dignitatemq; suis commodis emolumentisq; semper prætulit, non minus fidus sui Regis minister, quam fortis bonusq; patriæ civis. Manarant, quod rerum intelligentes facile perspiciunt, istæ virtutes ex fonte suo, religioso divini Numinis metu, qui cum vero ejusdem amore conjunctus esset. Verbo igitur cœlesti ac sacrosanctis Jesu Christi mysteriis delectabatur, quibus animû, & dum valeret, læpius refecerat, & cum oppressus jaceret totius corporis doloribus, beatam desiderans ex hac vita migrationem. Illa vero ei optata contigit a. d. iix. Kal. Februar. die Conversionis Pauli, cum natus esset annos tres & quinquaginta. Usus fuisse accepimus alias valetudine satis firma, nisi, quod ea labore militari ac itineribus, & vulnere deniq; capitis, quod diximus, graviter cœpit affici. Ultimis igitur his annis conflictatus est cum morbo aliquoties: sub finem vero anni proxime prælapsi cœpit cardialgia laborare, cujus morbi vis ingravescens cum adhibitis Medicorum consiliis & humanis remediis omnibus evaderet valentior, ille se totum Deo vitæ auctori suaq; omnia serio commendavit, ejusdemq; beneficio vitam hanc fragilē atq; caducam æterna illa & nunquam desitura commutavit. Generosis quidem propinquis, Viduæ inprimis ac Sorori, obitus ejus, quod facile suspicentur omnes, valde fuit acerbus atq; luctuosus: Sed quemadmodum divinæ se voluntati pie prudenterq; submitunt, ita ultimos Conjugi, Fratri & Amico desideratissimo parant honores hodie, institutis solenni ritu exequiis: Quibus ut Studiosa Regii Gymnasii Juventus frequens & modesta interfit, seq; ad beatam ex vanitate hujus vitæ commigrationem, in cœlestem patriam, mature præparare discat, omnes ac singulos hoc loco publice graviterq; commonefacimus. V.

P. P. Idibus Aprilibus.

Anno cIo Ioc LXXI.

← / ←



eligeret, vitæ curarumq; sociam, Ge  
SULAM MARGARETAM RAMMINIA  
Domini, WOLFGANGI de Steinwel  
ni in Sittichow/ Selchow/ &c. reli  
ginta qvâsi annorum matrimonio am  
usq; vitæ sincere constanterq; præstit  
culi LV. ut laudatissimus semper Sve  
dalorumq; Rex D. CAROLUS GUS  
ALEXANDRA Regina, sylvarum nemo  
custodiam curamq; illi demandarent,  
dexteritate præfuit, vel cum Inclyto,  
volente interesset expeditioni Poloni  
tum rebus omnibus diligenter ac studio  
in illo genere se absente detrimenti  
versatus est sic, ut S. R. M. tis, Ex  
ADOLPHI JOANNIS, Comitum Palatin  
tuum eo tempore Ducis Generalissim  
rem, cæterorum quorumvis amorem  
tutis deniq; & dexteritatis laudem exi  
pararet. Nam fide in Regem ac Patri  
ratus omne potius subire periculum,  
decimo abhinc anno in obsidione Ste  
specimina, quando percussus globo to  
accepit, morborum sequentium & mo  
terea anno seculi LXV. & Potentissim  
ni nostri longè clementissimi, Dn.  
næ CHRISTINÆ nomine summus rei V  
niam Magister constitutus, fide & indu  
plane satis fecit, amorem ac honorem  
cum humanitate gravitati tribuentibu  
animus illi generosus sane, sed mans  
quam disfidiorum amans, superbix, v  
dis osor, prudens ac circumspetus in

ominam, Ur  
osi quondam  
ditarii Domi  
m, cui in tri  
um ad finem  
vero anno se  
thorum Van  
CHRISTINA  
Pomeraniam  
fide omni ac  
vimus Rege  
atis ante abi  
eqvid Resp.  
In exercitu  
fratris, Dn.  
am, Exerci  
simum favo  
entiam, vir  
nq; sibi com  
nemini, pa  
tum, & duo  
buit illustra  
us in capite  
nitium. In  
egis, Domi  
I. & Regi  
et Pomera  
Magistratui  
temperatæ  
Erat enim  
sq; potius,  
pæ ac frau  
dis, prom  
prus

